



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Terrarum & aquarum elegans diuisio, sphæris expressa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

quæ quidem omnia ferè cum Oceano conjuncta quodammodo videntur; attamen mare Caspium vndique est conclusum; & in Palæstina, circa regionem Sodomorum & Gomorrhæorum, mare quoque illud, in quod sese infundit Iordanes, quod Scriptura *salsissimum* appellat, ab Oceano prorsus est diuisum. Sicut & stagna, & lacus plurimi, cum Oceano non junguntur, nisi fortè per occultos subterraneosque terrarum meatus, per quos aquæ maris iterum ad fontes, & ad locum, unde exeunt, flumina reuertuntur. Quam ob causam, in Genesi, non dicitur, *congregationem*, sed *congregationes aquarum appellauit maria: & maria, non mare*, multa eiusdem generis loca receptaculaque aquarum nominauit, vt eruditè annotauit Torriellus.

Ex his de situ, quiete, ac diuisione, diuulsioneque terræ disputatis, quæ necessaria sunt, ad hominum in ea habitationem, etiam pulchritudo illius enitescit, quam illi conciliat rotunditas, varietas, fæcunditas. Figura enim terræ est rotunda, hoc est, vt perfectissima, ita & elegantissima, quam projecta in Lunam umbrâ eclipses ostendunt; & testantur, qui ex Hispanijs, occasum versus, soluentes, immensis itineribus, ad incognitas mundi partes, cursum solis, imitati, per hemisphærium huic nostro suppositum, semper recurua via, nauigauerunt. Illi enim, per Orientales insulas, tandem, toto terrarum orbe emenso, trium annorum spatio, ad idem Hispaniæ littus, vnde exierant, redierunt. Quia verò non est alia aquæ, alia terræ sphaera, vt tamen contendit Paulus Burgensis, sed vnus efficitur ex vtroque elemento globus, in quo terra aquis longè est maior, & cuius centrum est idem cum centro vniuersi; idcirco mira quædam vel ex ipsis aquarum ductibus, & tractibus terrarum varietas existit. Fluij enim veluti quædam venæ campos interfecant, & riui gratissimo aspectu prædistingunt; nihilque est aspectu iucundius, quàm, ex alta arce, aut monte, tanquã fimbriata peristromata, regiones subpatentes fluminibus discriminatas intueri. Quod vel in exiguis his Mathematicorum globis agnoscere possumus, in quibus illi Europam, Asiam, Africam, Indiam, & totum hunc terrarum orbem, cum lacubus, amnibus, & ipso Oceano delineatum depictumque curiosorum oculis consueuerunt representare.

Sed

Eccles. 1. 7.

Augustin.
Torniell.
Mundi die 3.

IX.

Paul. Burg.
super c. 1. Ge-
nes. addit. 1.